



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Bernardi Primi Clarævallensis Abbatis, Ordinis
Cisterciensium Antesignani, melliflui Ecclesiæ Doctoris
Sermones In Dominicis & Festa per annum**

Bernardus <Claraevallensis>

In Cœna Domini.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39254

f Cant. 3.
 † Gen. 32. f

u Cant. 1. a

dirigendo, passiones propter iustitiam sustinendo. Dicamus quoque cum Sponsa *S*: *Tenui eum, nec dimittam.* Dicamus etiam cum Patriarcha: *Non dimittam te, nisi benedixeris mihi* ^t. Quid enim jam superest nisi benedictio? Quid post amplexum, nisi osculum restat? Si sic adhererem DEO, quomodo non jam clamare liberet ^u: *Osculetur me osculo oris sui?* Ciba nos interim Domine lacrymarum pane, & potum da nobis in lacrymis in mensura: donec perducas nos ad mensuram bonam & conferatam & coagitatam, quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu Patris super omnia benedictus DEUS in sæcula, AMEN.

IN COENA DOMINI;

De Baptismo; Sacramento Altaris; & ablutione pedum.

S E R M O I.

Sanctitas horum dierum.

HI sunt dies quos observare debemus: dies pleni pietate & gratia, quibus etiam sceleratorum hominum mentes ad pœnitentiam provocantur. Tanta siquidem est vis sacramentorum eorum quæ diebus istis recoluntur, ut possint ipsa quoque lapidea scindere corda, & pectus omne licet ferreum emollire sufficiant. Denique videmus usque hodie ad passionem Christi non modò cœlestia compati, sed terram moveri, & petras scindi, & in confessionem peccatorum aperiri monumenta. At verò quoniam sic est in spiritualibus cibis, sicut & in corporalibus, ut in quibusdam statim præsto sit sapor, in aliquibus oporteat laborare: quæ manifesta sunt, nostro non indigent ministerio: quæ verò clausa sunt, diligentem volunt habere consideratorem. Neque enim tradit mater parvulo nucem integram, sed frangit eam, & nucleum porrigit. Sic & ego vobis, fratres charissimi, si possem, sacramenta quæ clausa sunt, aperire debueram: sed quia minus possum, rogemus ut vobis pariter & mihi mater Sapientia frangat nuces istas, nuces, inquam, quas protulit sacerdotalis virga virtutis, quam emisit Dominus ex Sion. Multa quidem sunt sacramenta, & scrutandis omnibus hora non sufficit. Fortassis etiam aliqui vestrum imbecilles sunt ad tanta simul capienda. De tribus itaque sacramentis * quæ satis congrua sunt huic tempori, dicendum erit quod Dominus ipse donaverit.

* v. NOTAS.

Sacramentum quid.

Sacramentum dicitur sacrum signum, sive sacrum secretum. Multa siquidem fiunt propter se tantum: alia verò propter alia designanda, & ipsa dicuntur signa, & sunt. Ut enim de usualibus sumamus exemplum: datur annulus absolutè propter annulum, & nulla est significatio: datur ad investiendum de hæreditate aliqua, & signum est: ita ut jam dicere possit qui accipit: Annulus non valet quicquam, sed hæreditas est quam

quam quærebam. In hunc itaque modum appropinquans passioni Dominus, de gratia sua investire curavit suos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hoc instituta sunt omnia sacramenta, ad hoc Eucharistiæ participatio, ad hoc pedum ablutio, ad hoc denique ipse Baptismus initium Sacramentorum omnium; in quo conplantamur similitudini mortis eius: Unde & trinamersio, tridui, quod nunc celebrandum est, formam gerit. Sicut enim in exterioribus diversa sunt signa, ut cepto immoremur exemplo, variæ sunt investituræ secundum ea de quibus investimur: verbi gratia, investituræ Canonici per librum, Abbas per baculum, Episcopus per baculum & anulum simul: sicut, inquam; in huiusmodi rebus est, sic & divisiones gratiarum diversis sunt traditæ Sacramentis. Quæ est gratia unde per Baptismum investimur? Utique purgatio delictorum. Quis enim potest facere mundum de immundo conceptum femine, nisi qui solus est mundus, & in quem peccatum non cadit, Deus? Huius quidem gratiæ sacramentum prius erat Circumcisio, ut originalis rubiginem culpæ, quæ manaverat à parentibus primis, cultellus eraderet: sed veniente Domino, qui Agnus est totus suavissimus & mitis, cuius jugum suave est, & onus leve, optime latis mutatum est, ut inveteratam rubiginem cum unctione sancti Spiritus aqua dilueret, & acerbitas illa cessaret.

Sed forte quærat aliquis, & dicat: Si deletum est in Baptismo quod contraximus à parentibus, cur adhuc manet cupiditatis fomes, & velut incentivum quoddam peccati? Neque enim dubium quin à primis parentibus in nos traducta sit lex ista peccati. Omnes siquidem in peccatrice voluptate generamur: propterea, licet inviti, illicitos quosdam motus concupiscentiarum, & tanquam bestiales sentimus. Dixi vobis sapius nec mente excidere debet, quoniam in casu primi hominis cecidimus omnes. Cecidimus autem super acervum lapidum, & in luto: unde non solum inquinati, sed etiam vulnerati & graviter quassati sumus. Lavari quidem citò possumus, ad sanandum verò opus est curatione multa. Lavamur igitur in Baptismo, quia deletur chirographum damnationis nostræ: & gratia hæc nobis conferitur, ne jam nobis concupiscentia noceat, si tamen à consensu abstinemus: atque ita tanquam sanies inveterati ulceris removeatur, dum tollitur damnatio, & responsum mortis, quod prius inde manabat. Sed quis poterit tam efferos motus frangere? quis pruritus ulceris huius ferre queat? Confidite, quia & in hoc gratia subvenit, & ut securi sitis, sacramenti Dominici corporis & Sanguinis preciosi investituram habetis. Duo enim illud sacramentum operatur

*Sacramenta
quorsum insti-
tuta.*

*Quæ gratia
Baptismi?*

*Circumcisio o-
lim vice Ba-
ptismi.*

*Cur deletio pec-
cato originali
fomes in homi-
ne remaneat.*

*Vis sacramenti
Eucharistiæ ad
frangendos*

motus concu-
piscencia.

in nobis ; ut videlicet & sensum minuat in minimis, & in gravioribus peccatis tollat omnino consensum. Si quis vestrum non tam sapè modo, non tam acerbos sentit iracundiæ motus, invidiæ, luxuriæ, aut cæterorum huiusmodi : gratias agat Corpori & Sanguini Domini, quoniam virtus sacramenti operatur in eo : & gaudeat quod pessimum ulcus accedat ad fanitatem.

a 1. Ioan. 1. c

Lotio pedum
peccatorum
venialium
denotat re-
missionem.

b Ioan. 13. a

Ioan. 13. b

c Iacob. 3. a

Peccata levio-
ra non parvi-
pendenda.

Sed tamen quid agimus quod in hoc corpore peccati, & in hoc tempore malo non possumus esse sine peccato ? Nunquid desperabimus ? Ablit. *Si dixerimus (ait Beatus Joannes ^a) quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Si autem confessi fuerimus peccata nostra, fidelis Deus est qui remittat nobis peccata, & emundet nos ab omni iniquitate* Nam ut de remissione quotidianorum minimè dubitemus, habemus eius sacramentum, pedum abluitionem. Quæris forte unde sciam quod sacramentum sit huius remissionis, maximè cum ipse Dominus promiserit Petro dicens ^b : *Quod ego facio, tu nescis modo : scies autem postea, nihil autem de sacramento locutus est : sed tantum, Exemplum, inquit, dedi vobis, ut & vos ita faciatis.* Verùm multa habebat illis dicere, sed tunc portare non poterant. Ideoque nec ex toto voluit eos anxios & suspectos relinquere, nec dicere quod tunc non caperent. Vis autem nosse, quia pro sacramento illud est, non pro solo exemplo factum ? Illud attende quod Petro dictum est : *Si non laveris te, non habebis partem mecum.* Aliquid igitur latet quod necessarium est ad salutem, quando sine eo nec ipse Petrus partem haberet in regno Christi & Dei. Vide enim si non expaverit Petrus ad tantæ comminationis terrificum verbum, si non agnoverit salutare esse mysterium, cum respondit : *Domine non tantum pedes meos, sed & manus & caput.* Et unde scimus quia ad diluenda peccata, quæ non sunt ad mortem, & à quibus plenè cavere non possumus ante mortem, ablutio ista pertineat ? Ex eo planè, quod offerrenti manus & caput pariter ad abluendum responsum est : *Qui lotus est, non indiget nisi ut pedes lavet.* Lotus est, qui gravia peccata non habet, cuius caput, id est, intentio, & manus, id est, operatio & conversatio munda est : sed pedes, qui sunt animæ affectiones, dum in hoc pulvere gradimur, ex toto mundi esse non possunt, quin aliquando vanitati, aliquando voluptati, aut curiositati plus quam oportet cedat animus vel ad horam. *In multis enim offendimus omnes ^c.*

Veruntamen nemo contemnat, aut parvipendat. Impossibile est enim cum eis salvari, impossibile est ea dilui, nisi per Christum Jesum, & à Christo. Nemo, inquam, perniciose securitate dormitet, declinans in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, quoniam (ut audivit

vit Petrus ab ipso) nisi laverit ea Christus, non habebimus partem cum eo. Nec ideo tamen pro eis necesse est nimis esse sollicitos: ignosceat facile, imò & libenter, si tantummodo nos agnoscamus. In huiusmodi namque quasi inevitabilibus & negligentia culpabilis est, & timor immoderatus. Hinc est quod in oratione, quam ipse constituit ^d, quotidie pro peccatis illis voluit nos orare. Sicut enim de concupiscentia diximus, quod licet damnationem abstulerit, quia juxta Apostolum ^e, *nullo la damnatio est his, qui sunt in Christo Iesu*: tamen ad humiliandos nos ipsam adhuc patitur vivere in nobis, & graviter affligere nos, ut sentiamus quid nobis gratia præstet, & semper ad illius auxilium recurramus: sic & de minoribus istis peccatis pia dispensatione nobiscum agitur, ut non penitus auferantur, sed in illis nos erudiat DEUS, ut cum minima cavere non possumus, certi simus quod non nostris viribus maiora superemus: semperque timorati, & omnino solliciti simus quomodo eius gratiam non amittamus, quam nobis tam multipliciter necessariam esse sentimus.

*Nimia tamen
anxietas ca-
venda.*

d Luc. II.

e Rom. 8. a

*Concupiscentia
cur etiam
num in nobis
residua.*

*Cur minori-
bus quibusdã
vitiis maneamus
obnoxii?*

IN COENA DOMINI,

SERMO II.

Sedisti ad mensam divitis, diligenter attende quæ apponuntur tibi, & scito quoniam talia oportet te præparare. Prov. 23. a. †.

IN verbis istis loquitur spiritus consilii voce suavi: sed & terribili. Vox suavis est, sed obedientibus: vox terroris contemnentibus. Recipientibus debentur præmia: rejicientibus intentantur supplicia. Videntur qui recipiunt, damnabuntur qui rejiciunt. *Sedisti*, inquit. Ecce principium huiusmodi verborum quantæ suavitatis præfert insigne! Verba præcedentia suaviter sonant, affectum mulcent: & de sensuum ubertate mentem impingunt. Quæ autem sequuntur ^b, id est, *scito, quoniam talia oportet te præparare*: dum intellectum quo plus exerceat, plus terrent, de altitudine mysteriorum miro modo nos humiliant, sive propter indignitatem nostram, sive propter incapacitatem. *Dives* itaque & potentissimus ille, Dominus est virtutum, & ipse rex gloriæ: cui dicitur per Prophetam ^c: *ut viderem virtutem tuam & gloriam tuam*. Ipse est qui aufert spiritum principum, terribilis apud reges terræ. *Mensa* ad quam resident fideles epulaturi cum eo, Incarnatio ipsius est. *Parasti*, inquit, *in conspectu meo mensam*, id est, Incarnationis tuæ remedium, quod semper attendo & recogito, *adversus eos qui tribulant me*: ne morte antiquo prævaleant, qui misero & exuli insultare consueverant.

† Ita legunt
LX X. Et
hæc huius
loci lectio
frequens est
apud Patres.

b Prov. 23. a

c Psal. 62. a

Porro in mensa, & de mensa Incarnationis Dominicæ refectio acquiritur

*Incaratio
Christi mensa
divitis.
Fercula men-
sa varia :*
1. Christi
obedientia;
qua constat
d Ioan. 5. b
e Ioan. 4. c
Humilitate,

*patientia.
f Eia. 53. c*

g Ioan. 1. b

*Et perseve-
rantia.*

*Alteram fer-
culum mensa
Domin. In-
carn.
Paupertas
Spiritus.
Ad hanc per-
tinent
1 Contemptus
terrenorum.
h Matt. 5. a*

ritur opulenta. Regia quidem ibi sumuntur fercula, & accuratiori arte diligentius preparata, deliciosa multum ad saporem, solida ad nutrimentum: efficacia verò ad medicinam. Primum itaque ferculum, est obedientia filialis, tribus contexta funiculis, habens humilitatem in corde, patientiam in ore, perseverantiam in bono opere. Christus namque factus est obediens Patri. Unde & ipse dicit ^d: *Non veni facere voluntatem meam, sed eius qui misit me.* Et in alio loco ^e: *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me, Patris.* Quæris de humilitate? Dominus omnium servuli forma indutus est: de paupercula Virgine natus est. Ideoque cum liber esset à lege, factus est sub lege, sine querela conversatus in lege. Cum publicanis & peccatoribus cibum sumpsit, discipulorum quos elegerat pedes lavit: hoc ab ortu suo usque ad finem vitæ satagens, ut sicut in Matre specialis & sine exemplo fuit virginitas, sic in Filio singularis & unica esset humilitas. Quod si de patientia quæritur, sicut ovis ad occisionem ductus est, & propter iniquitates nostras vulneratus est: & cum iniquis deputatus est ^f. Ut etenim invisibilis videretur à nobis, & immortalis moreretur pro nobis: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* ^g. Habitavit hoc Verbum in nobis obumbratum carne, quam pro nobis assumpsit ex nobis, Verbum in carne, sol in nube, mel in cera, lumen in testa, cereus in lucerna. Sustinuit in assumpta carne incommoda nostra sine peccato carnis, portans in carne peccata nostra; & hoc totum non propter se, sed propter nos: ut redderet nos incolumes de infirmis, cohæredes de extraneis, liberos de servis. Si de perseverantia quæris: obediens fuit usque ad mortem. Obedientia, talaris est tunica, quam Joseph (quod sonat Accrescens vel Augmentum, id est, quilibet perfectus dono clementioris gratiæ, quæ est mater credentium) singulariter induit.

Secundum ferculum, est paupertas spiritualis, quam tria constituunt: depositio rerum & contemptus: vilitas & abjectio sui ipsius: abdicatio propriæ voluntatis in omnibus. Voluntaria ergo paupertas quæ sine possessione vel desiderio habetur: quanto expeditior est, tanto securior est. Custos & magistra est virtutum huiusmodi paupertas: sicut è contrario radix est vitiorum immoderata rerum affluentia. Expedit esse nudos, cum diabolo, qui nudus est, luctaturos. Nudus athleta fortius dimicat: natator exiit, ut fluvium transeat: viator rejectis sarcinulis bene cursitat. Nobilis itaque titulus voluntariæ paupertatis, quam Christus docuit verbo, *Beati*, inquit ^h *pauperes spiritu, &c.* Consecravit exemplo, nec enim habuit propriam domum in qua caput reclinaret, & in qua cum discipulis pascha manducaret: nec proprium habuit, unde tributum solveret. Commendavit eam etiam ore prophetico dicens: *Ego*
vir

vir videns paupertatem meam. Huius paupertatis exemplum primi post Christum Apostoli ediderunt, quando in primitiva Ecclesia multitudinis credentium erat cor unum & anima una, & omnia communia ^k. Hæc ^k Act. 4. f. religiosis Apostolorum sequacibus indicta est. Paupertas ista quæ nec habet, nec habere desiderat, lateralem adjunctam sibi quærit paupertatem, videlicet superbiam latentis contritionem: ut qui membrum DEI est, pauper sit spiritu, id est humilia & abiecta de seipso sentiat & iudicet. Non applaudat sibi, non infletur de meritorum eminentia, nec aliis insultet: quod Christus tenuit & servavit præ omnibus: unde & ad discipulos dicebat ^l: *Cum feceritis hæc omnia, dicite quia servi inutiles sumus.* ^l Luc. 17. c. Tertio religiosus sit pauper spiritu, nihil unquam ex propria faciens voluntate: sed in omnibus & per omnia iugo mancipatus obedientiam. Hæc sunt tria quæ præmissimus veræ religionis insignia, quæ hominem Deo & Angelis reddunt conformem, cœlestis patriæ civem conscribunt & hæredem.

Tertium ferculum, est mors Christi reverenda: præ omnibus sacramentis affectuosa. In hoc enim sacramento pietas magis enituit, gratia plus refulsit, charitas amplius radiavit. Ad mortem Christi tria præcipue respiciunt, non sine timore, non sine lachrymis & gemitu prosequenda: injuriarum multiformium illatio: manuum ac pedum in cruce confixio: sepulchri ac sepulti sub militum excubiis observatio.

Porrò *sedere* duo significat: potestatem judicariam & subjectionem voluntariam. Habes ad manum exempla congrua de utroque. *Sede à dextris meis* ^m: & illud ⁿ *Vidi Dominum sedentem*: atque illud ^o: *Cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ*, signa sunt judicariæ potestatis. Cæterum ipsa Scriptura clamat ^p: *Surgite postquam sederitis, qui manducatis panem doloris.* Et illud: *Super flumina Babylonis illic sedimus & flevimus* ^q: & illud Christi ad discipulos ^r: *Sedete hic donec orem*: verba sunt debitæ subiectionis. Christo igitur adhuc orante, nequaquam surgere debemus per aliquam extollentiam, sed humiliari & in bonis exercitari operibus convenit: ut quandoq; post laborum, quibus hic afficimur, tolerantiam, surgamus loco & tempore suo promovèdi ad cœlestem gloriam.

Tu itaq; qui sedes ad mensam divitis, ferculis quæ præmissimus appositis teipsum subiciens & humilians Incarnationis Dominicæ sacramento, non negligenter, sed *diligenter attende qua apponuntur tibi.* Attende, inquam, ut discas in referendo gratiam non esse tardus aut segnis: ut discas ad singula dona agere gratias. Attende, inquam, ut nulla Dei munera debita gratiarum actione frustrentur, non grandia, non mediocria, non modica. Denique jubemur colligere fragmenta ne pereant, id est,

Sermones S. Bernardi.

Ff

nec

Thren. 3. b
k Act. 4. f
2. Despicientia seu humiliatio sui.

l Luc. 17. c
3. Abdicatio propria voluntatis.
Tria Religionis insignia.

Tertium ferculum mense Domin.
Mors Christi.
Ad hæc tria referuntur.

Sedere variè accipitur.
m Psal. 109. a
n Esai. 8. a
o Matt. 19. c
p Psal. 126. a
q Psal. 136. a
r Marc. 14. f

Beneficia Passionis Christi grato animo recolenda.

Ingratitudinis
damna.

nec minima beneficia oblivisci. Nunquam non perit quod datur ingrato. Terribile est quod sequitur, quia onerosum, & quasi impossibile videtur. Sed quibus? Mollibus, effœminatis, ignavis. In quibus libertate perniciofa, ruptis habenis continentia eunt quò volunt ebrizæ concupiscentia, temulentique affectus, dum post carnem carnaliter evagantur: dum mundum supra modum ambiunt & sequuntur. Sed quid est illud quod terribile judicant? Hoc est, *quoniam talia oportet te preparare*: Nota, *quoniam*, compatiendo, commoriendo & consepeliendo te ipsum, & cætera. Dignum est enim & tibi multum expedit, compati, commori, consepeliri passo, mortuo, & sepulto. Ad hoc enim facta sunt huiusmodi, ut his omnibus configuretur & conformetur vita Christiani. Qui enim tanquam membrum Christi dicit se in Christo manere, debet sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. Nam propter crucem piis dictum est ^s: *Qui sunt Christi Iesu, carnem suam crucifixerunt cum vitis & concupiscentiis*. propter sepulturam dictum est, *Consepulsi sumus cum Christo* ^t, &c.

Christi gestis
vita Christiani
conformanda.

Gal. 5. d
Rom. 6. a

Christi patientis
species &
habitus.

Et ideo ut validius compungamur, ut amplius moveamur, & curramus per omnia, revolvamus singula contextendo resticulum, connexendo funiculum, connectendo fasciculum: de omnibus & singulis quæ facta referuntur, de humili Dei Filio, de summo Patris Unigenito, de Redemptore piissimo, de amantissimo fratre nostro. Occurrat itaque spiritualiter & ingerat se ipsum cordibus nostris Dominus Christus, proditus & venditus à discipulo, à Judæis tanquam vile mancipium, pretio factis exiguo comparatus, captus, tractus & ligatus, tanquam homo sine adjutorio: scissis etiam verberibus dorso, vellicatis genis, facie sputis illita, puncto vepribus capite, saucio latere, terebratis palmis pedibusque confossis: qui tanquam jugulatori suo alludens, seipsum non reluctans exposuit, & nudum corpus quasi incudem malleatorum ictibus patienter explicuit: dum pro nobis per huius vitæ pelagus ad patriam de exilio transferendis, rapacibus piratis naulum propriæ mortis exolvit. Sed nec prætermittam myrrham qua in cruce potatus est: sed neque illam qua unctus est in sepulturam. Quarum in prima sibi applicuit meorum amaritudinem peccatorum: in secunda futuram mei corporis incorruptionem dedicavit. Hoc est celeberrimum & regale convivium, in quo Justii epulantur & exultant in conspectu Dei, aut delectantur in lætitia.

Convivium
passionis Do-
mini.

Pigmenta seu
bellaria men-
se Christi.
*u Cant. 1.

Præter hæc omnia dulce pigmentum apponitur invitatis ad lætificandum de Cyprio vino, & preciosis & peregrinis, quia nobis adhuc inexpertis speciebus conditum. *Botrus*, inquit ^u, *Cypri, dilectus meus mihi*. Præmissum erat in proximioris versiculo, *fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi*, scilicet Christus secundum carnem. *Botrus* verò Cypri Christus est

est secundum deitatem? fasciculus Myrrhæ Christus in passione. Botrus Cypri, Christus in Resurrectione: fasciculus myrrhæ, grando & tonitru Judaicæ tempestatis. Botrus Cypri destructio totius adversariæ potestatis; fasciculus myrrhæ, multitudo afflictionum. Botrus Cypri, abundantia gaudiorum: illinc amaricans, istinc inebrians.

Sed non est prætereundum quod dicitur ^x, *fasciculus myrrhæ dile-* ^{x Ibidem.}
ctus meus mihi inter ubera commorabitur. Ibi enim est cor. Et ubi est cor: ^{Meditatio Pas-}
 ibi dilectio, & ubi dilectio, ibi dilecti mansio. ^{sonis Domini.} Novit autem quicumque ^{quam expe-}
 rectè sapit, quantum Christianæ pietati expediat, quantum Dei servum ^{diens pietatis}
 deceat sacrosanctæ passionis ipsius fidelius recolere beneficia, ad fruendum ^{Christiana.}
 suaviter in conscientia, ad recondendum plenius per imitationem ^{1. Cor. 11. c}
 in memoria: quod est spiritualiter manducare Corpus Domini, & Sanguinem eius bibere, ob amorem & reverentiam eius, qui credentibus in ^{se præcipit dicens 1:} *Hoc facite in meam commemorationem.* In quo etiam quàm impium sit hominem tantæ pietatis Dei esse immemorem, palam est omnibus: cum amici morientis vel peregrè proficiscentis commendatam sibi sub aliquo signo memoriam nefas sit oblivisci. Siquidem huius reverendæ commemorationis mysterium, suo modo, suo tempore, suo loco celebrare licet paucis hominibus, quibus & hoc traditum est mysterium. Rem verò mysterii omni tempore & in omni loco dominationis Dei modo quo traditum est, id est, debitæ pietatis affectu, & sanctæ ^{Mysteriū pas-}
 imitationis affectu agere, tractare & sumere in salutem cunctis fidelibus ^{sonis domini-}
 in promptu est. Nam & sacramentum sicut accipit ad vitam dignus: ^{cæ quomodo}
 sic ad iudicium & mortem propriam indignus. Sacramentum enim sine ^{spiritualiter}
 re sacramenti, mors est sumentis. Res verò sacramenti etiam præter ^{sapissimè tra-}
 sacramentum, vita aterna est accipientis. Quoties in commemorationem ^{ctandum.}
 eius qui pro te passus est, piè ac fideliter Christum imitando fueris affectus & devotus, corpus eius manducas, & sanguinem eius bibis: & quantum diu in eo manes per amorem, ipse verò in te per justitiæ & sanctitatis operationem, in eius corpore & in membris eius computaberis. Et ideo si amas animam tuam, propter Christum perdere debes eam, sive ponendo ut martyr, si necessitas exegerit; sive affligendo districtius ut poenitens: quanquam & genus martyrii sit spiritu facta carnis mortificare, illo nimirum quo membra cæduntur ferro, horrore quidem mitius, diuturnitate autem molestius. Habeamus ergo eorum quæ contemptibilia Christo sunt illata, continuam & indefinèntem memoriam: non utique ociosam, non tepidam, non torpentem: sed compassionis ardore super omnia plurimum delectantem, & imitationis privilegio omnia impetransem. Unde Propheta *Delectare in Domino*, inquit, ut spreta mundi ^{1 Psal. 36. a}
 tiorum

tiorum omnium jucunditate suavior eius recordatio sit: *Et dabit tibi petitiones cordis tui, non carnis.*

*Species unde
constat pig-
mentum re-
galis convi-
vii,*

Porro tres sunt species de quibus conficitur pigmentum, quod ad regalis convivii festinam exhilarationem apponitur: triumphalis reditus ab inferis: gloria resurrectionis: confessus ad dexteram Dei Patris. Cibi prædicti confortant: ista verò tria lætificant. Convivantes & invitati in tempore gratiæ præ cæteris Apostoli & Martyres esse creduntur, qui in fortitudine cœlesti & spiritali exultatione non ingrati vel immemores exhibiti à Christo convivii, retribuunt & offerunt de seipsum qualia acceperunt. In desiderio & in agone isto sudant, currunt & laborant: quos elegit Deus ut seipsos hostiam vivam & Deo acceptam exhibeant. Et utinam Christus nobis indulgeat quantulacunque bonorum operum executione, illorum vestigia humiliter adorare; qui est Deus benedictus in sæcula, AMEN.

SERMO SEU MEDITATIO

In Vitam & Passionem Domini.

*Beneficia Chri-
sti: morte nobis
sollata.*

*Gloria Chri-
stiani in no-
mine Christi.*

IESUM Nazarenum à Judæis innocenter condemnatum, à Gentibus crucifixum, Christiani divinis honoremus obsequiis. Salvatoris infirma nos qui Christiani sumus, reverenter venerari, amanter amplecti, fortiter imitari, dignum est, salubre, & honorificum. Hæc enim sunt instrumenta fortissima in quibus omnipotens virtus & investigabilis sapientia Dei, restaurationem mundi potenter atque mirificè operata est, & usque modo operatus Christus Dominus minoratus est ab Angelis, ut nos æquaret Angelis. Et quis propter Christum non se humiliet? Christus Dominus pro peccatis nostris crucifixus est, & crucem amaram suis amatoribus dulcoravit. Mortuus est, & mortem necavit, ut viveremus per illum. Et quis non amet Christum Dominum? Quis non patiat pro Christo? Christus per crucis ignominiam ad supernæ claritatis gloriam transit, & data est ei pro sua reverentia à Deo Patre omnis potestas in cælo & in terra, ut adorent eum omnes Angeli Dei, & in nomine JESU omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum. Ubi est gloriatio tua, ô Christiane, nisi in nomine crucifixi Domini Dei tui, & in Christi nomine quod est super omne nomen, in quo qui benedictus est super terram benedicetur? Gloriamini in nomine Filii redemptoris, & date honorem illi Salvatori nostro, qui magna fecit in nobis, & magnificate nomen eius mecum, dicentes.

Adoremus te Christe rex Israel, pariter & gentium, Princeps regum, terræ Dominus, Deus Sabaoth, Virtus omnipotentis Dei fortissima.

Adora-